Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ne est illis. Audi aquas inter medium montium. quia communis illis fides erat. nec
quisquam aquas quasi proprias et suas habebat. Si enim non sunt in medio quasi private sunt. non pub-
lice fluunt. et ego habeo meam. et ille habet suam. Non est in medio quod et ego et ipse habe-
at. Sed talis non est pacifica predicatio. At tu vero ut inter medium montium fluant aque. audi vo-
cem montis. Deus inquit pacis det vobis idipsum ~~facere~~ sapere invicem. et infra. Ut idipsum
sapiatis omnes. et non sint in vobis scismata. Quid est sentio sentis. in medio fluit aqua. Non
habeo quasi privatum meum. nec tu privatum tuum. Veritas nec mea sit propria nec tua. ut et mea sit
et tua. Inter medium montium pertransibunt aque. Audi ipsum montem ut dixi. quia inter me-
dium montium pertransibunt aque. Sive autem ego. sive illi. sic predicamus et sic credidistis. Se-
curus dixit. sive ego sive illi. sic predicamus. et sic credidistis. Inter medium enim montium.
fluebant aque. Nulla de aquis discordia montium. sed pax consensionis. et societas kari-
tatis. Si quis autem vellet aliud predicare. iam de suo predicaret. non de meo. Et audi quid
de illo dicatur ab ipso qui emisit fontes in convallibus. Qui loquitur mendacium. de suo loquitur.
Itaque ne acciperetur aliquis mons non de medio sed de suo manans. ait apostolus. Quisquis vobis ev-
angelizaverit preter quam quod accepistis. anathema sit. Et unde quemadmodum noluit de
monte presumi. ne forte mons discedat ab aquis per medium currentibus et aliquid proprium
velit influere. Licet si nos et quantus mons dixit hoc. quam uberrime fluebant aque de
convalle eius. Tam hoc volebat ut medius inter montes curreret. et ibi esset certa fides
populorum. quod inter se medium atque commune apostoli retinebant. Licet si nos inquit. et tu paule
potes aliquid aliud predicare. De paulo questio. audi quod sequitur. licet si nos aut angelus
de celo annuntiaverit vobis preter quam quod accepistis. anathema sit. Si veniat mons
aliud evangelizans. anathematizetur. Unde hoc. Quia de privato vult fluere. non
de medio. Et hoc forte homo carnali nebula impeditus. et de fonte communi ad pro-
priam falsitatem redactus. possit hoc facere. Numquid et angelus. Vere si angelus de pro-
prio fluens in paradyso non esset auditus. non precipitaremur in mortem. Media aqua posi-
ta erat hominibus preceptum dei. aqua media. aqua quodammodo publica. sine fraude.
sine labe. sine ceno fluebat. Si ipsa aqua semper biberetur. semper viveretur. Venit angelus
lapsus de celo. factus serpens. quia insidiose iam venena spargere cupiebat. Emisit vene-
num de proprio. locutus est de suo. quia qui loquitur mendacium. de suo loquitur. Et miseri audi-
endo dimiserunt quod commune erat. unde beati erant. et ad suum proprium redacti. cum
volunt perversi esse similes deo. hoc enim eis dixerat. gustate et eritis sicut dii. appe-
tentes quod non erant. quod acceperant amiserunt. Ergo fratres ad hoc valeat quod diximus
caritati vestre propter fontes. ut fluant de vobis. Convalles estote. et cum omnibus con-
ferte quod de deo habetis. Inter medium fluant aque. nulli invideatis. bibite. satura-
mini. manete saturati. Ubique communis aqua dei habeat gloriam. non hominum pri-
vata mendacia. Explicit Sermo Secundus. Incipit Tercius.